

Bibliothèque numérique

medic@

**ABERCROMBY, David. Nova  
medicinae tum practicae, tum  
speculativae clavis**

Londres : Samuel Smith, 1685.



(c) Bibliothèque interuniversitaire de médecine (Paris)  
Adresse permanente : <http://www.biium.univ-paris5.fr/histmed/medica/cote?90958x254x02>

*1<sup>ta</sup>*  
Davidis Abercrombii,

M. D.

NOVA

# Medicinæ

Tum Practicæ,

Tum Speculativæ

## CLAVIS.

SIVE ARS

Explorandi Medicas Plantarum,  
ac Corporum quorumcumque  
Facultates ex Solo Sapore:

---

LONDINI:

Impensis Samuelis Smith, ad insigne  
Principis in Cœmiterio Divi Pauli.

M D C L X X X V.

## Author Lectori.

Qui Philosophicam sapientiorum corporum naturam propius intueri voluerit, ei Author sum, ut Celeberrimum ubique Philosophum R. Boylium consulat, ibi maximè, ubi de Mechanicâ diversarum qualitatum origine, ac saporum speciatim, ingeniosissimè suo more agit: quod enim ad me attinet medici tantum, non Philosophi hîc mihi partes assumpsi, cum de sapidis, hoc est Acerbo, Austero, Acido, Pingui, Dulci Salso, Acri, Amaro, ipsoque Insipido

E 4

Insipido

*sipido* quod etiam sapimus, non  
ut Philosophus, quod tamen a-  
liquâ successûs spe tentare mi-  
hi forte Licuisset, sed ut medi-  
cus solummodo differere decre-  
verim. Quam mihi Provinciam  
eð libentiùs imposui, quod non  
novam modò omnino, ni mea  
me fallit opinio, artem orbi eru-  
dito proponam, at cuius etiam  
objectum, vix ipsis quorum ma-  
ximè interest, aut paucissimis  
certè medicis sit notum: in  
quosdam enim hac ipsa in civita-  
te incidi, qui quid *Acerbum*, aut  
*Austerum* foret, vel omnino nes-  
cirent, vel turpiter confunderent  
quin etiam cum quodam alicu-  
jus etiam nominis certamen mi-  
hi haud ita pridem non leve fuit,  
qui

*Author Lectori.*

qui sapidum omne, aut acre, aut amarum, aut dulce esse sat inep-  
tè contenderet: quare facultati Medicinæ Londinensi, quæ totâ  
jam Europâ famam sibi peperit, pergratum quid facturum me  
existimavi, si quædam publici fa-  
cerem juris, quæ nonnullis eti-  
am forte ejusdem sociis non in-  
utilia, ac scitu etiam planè neces-  
faria esse possent: Cæterum ut  
instituti mei rationem faciliùs  
capias, meminisse te oportebit  
quam multa multi, & quam mul-  
tis de plantarum & medicamen-  
torum viribus scripserint, majore  
fanè Scientiæ suæ ostentatione,  
quam humani generis emolu-  
mento: quis enim plantarum,  
quarum obvius ubique catalo-  
gus,

*Author Lectori.*

gus, vel virtutes, vel nomina ipsa memoriæ imprimat omnia ? quam operosi præterea laboris crescentes in agris , hortisque herbas, vel de facie, ut aiunt, nosse, nisi à teneris quis unguiculis cum iisdem versatus fuerit : quibus ut incommodis iretur obviam, rationem mecum ipse inire cœpi. Memor itaque legisse me aliquando apud Authorem quemdam antiquum medicam inesse brutis animantibus linguam, quâ pura & impuris, pretiosum à vili, noxia ab innoxia, salubria ab insalubribus separerent, statui hoc ipso planè modo comparari posse quod sollicitus quærebam, atque non proprium illud esse brutorum privi-

*Author Lectori.*

privilegium, sed & hominibus  
quoque sagacioribus eò usque  
concessum, ut labore aliquo ex-  
perientiâque frequenti id ac-  
quirere possent, quod expertia  
rationis animalia tanquam mu-  
nus à naturâ acceperunt: imò  
longè potior mihi videbatur ho-  
minum conditio, qui ex distin-  
ctis rerum saporibus distinctas  
earumdem virtutes ratiocinatio-  
nis, quâ bruta forte carent, be-  
neficio inferre possunt: quan-  
quam, quam ipsos artem doceo,  
ea non rationis, quæ sâpe fallit,  
sed sensûs, qui rarissimè, opus sit,  
ejusque sensus, gustûs inquam  
qui tenacissimas nobis imprimit  
rerum species: sed ne te diu-  
tiùs morer, benevole Lector,  
artem

*Author Lectori.*

artem hic tibi propono quæ sit brevissimum ad medicinam practicam, materiamque medicam ubique adinveniendam compendium : hactenus enim non nisi summo labore, vel consultis authoribus, vel propria ipse forte experientia medicas paucarum plantarum vires deprehendist : hoc jam instructus artificio, ubicumq; locorum sis, quamvis plantarum nomina non noris, de propriis earum affectionibus, ac viribus, ni fueris insipidi omnino Palati , ex solo gustu pronunciare tutò poteris : quam autem methodum in dicendis infra servarim, nunc paucis habe.

Sapidorum primùm corporum,

*Author Lectori.*

rum, hoc est *Acerborum*, *Aufte-*  
*rorum*, *Acidorum*, *Salsorum*, *aci-*  
*rum*, *Amarorum*, *Pinguim*, *Dul-*  
*cium*, atque etiam *insipidorum*,  
cum ea quoque gustu percipia-  
mus, medicas facultates indico,  
tum qui potissimum ex gustu  
unumquodque singillatim sapi-  
dum discernere possis, quâ po-  
tissimum in re tota hujus artis  
energia posita videtur, indiciis  
haud obscuris commonstro: sed  
ut quâ ipse industriâ, hanc mihi  
artem compararim, ingenuè tibi,  
Publicique studio boni aperiam,  
selegi mihi ex quavis sapidorum  
specie unum aliquod, & quam  
maxime potui syncerum: quale  
est ex *acidis* olus *Sylvestre*,  
sive *Oxylapathum*, ex *Acerbis*

mei-

*Author Lectori.*

mespilum, ex *Austeris*, malum cotoneum, ex dulcibus mustum dulcibus ex uvis expressum, ex *Pinguibus*, sesamum, ex amaris cucumerem asinimum, ex *salsis* saltem, ex *Acribus*, allium, ex *In-sipidis* eucurbitam: quibus omnibus alternatim Palatum tamdiu exercui, ut non simplices modò singulis in rebus sapores, sed & coniunctos quoque ex priorum notitiâ facili negotio distinguerem possem, observatis Scilicet attentiùs, quas singula sapida linguae imprimerent, affectionibus: totum itaque mysterium pacuis tibi sine invidiâ revelavi: utere, & vale, acceptique memor beneficii vive.

At

At inscriptionis ratio pene  
mihi exciderat, quanquam ex  
se ipsa satis pateat : Artem i-  
gitur hanc, Novam Medicinæ,  
tum Speculativæ, tum Practicæ  
Clavim inscripsi : Practicæ qui-  
dem quod ad eruenda e divite  
naturæ Penu omnis generis  
remedia aditum aperiat, Spe-  
culativæ verò, quatenus non  
certe circa Medicinæ subiectum,  
quod corpus humanum est,  
sed circa objectum ejusdem  
salmem latius sumptum, Medi-  
cas Scilicet rerum Virtutes oc-  
cupatur tota ; Novam deni-  
que dixi, quod nullum ejus-  
dem apud Authorem ullum, vel  
leve repererim vestigium, quan-  
quam

*Author Lectori.*

quam de saporibus non pauci  
nec paucis egere: Plura hic  
non addam, ut tuo pariter &  
meo labori parciam, fruere igi-  
tur, iterumque vale: Ubi ta-  
men postremum te monuero  
nullas sapidis corporibus ascri-  
ptas esse à me Virtutes quas  
præstantissimorum medicorum,  
ac *Galeni* præsertim ubi de *sim-  
plicium medicament: facul:* non  
confirmet Authoritas, cui quoti-  
diana, ut *Medici* norunt, expe-  
rientia suffragatur.

**Nova**



N O V A  
M E D I C I N Æ  
Tum Practicæ,  
Tum Speculativæ Clavis.

S I V E A R S  
Explorandi medicas Plantarum , ac  
Corporum quorumcumque Facul-  
tates ex solo sapore.

---

P R O P . I.

*Medicam, Acerborum corporum,  
naturam exponere.*

**Q**UÆ Medica, *Acerbis* corporibus  
virtus insit, multiplici dudum  
experienciam patuit: cum enim *Acerbum*  
F omne

2. *Nova Medicinæ Clavis.*

omne refrigereret, exsiccatque , vi illud  
astringendi pollere vel maximâ quis  
inficias eat? Quod tamen ne quis gra-  
tis à me dictum putet, meminerit is  
velim, quæ nativæ, propriæque frigo-  
ris dotes fuerint : annon enim frigus  
& omne frigidum contrahit, condens-  
sat, obvia colligat ? Quæ pariter, *Acer-*  
*bum*, omnia præstat : frigidum itaque  
est: ubi autem frigiditatem depositum,  
ut in fructibus jam maturis, *Acerbita-*  
*tem* quoque exuit ; sed & terreæ pror-  
fus, asperæque indolis est : hinc fit ut  
humorem deglutiat, ac siccitatem in-  
ducat, nec eâ Palatum celeritate, qua  
acidum, acreve solet, penetrat : ter-  
renæ siquidem quicquid substantiæ,  
crassæ quoque, spissæque est ; suas pro-  
inde vires in superficiem potius Or-  
gani, quam ipsam in profunditatem  
exerit, ipsa scilicet corpusculorum  
crassitie, ne altius subintret, cohiben-  
te: frigiditas quoque à profundiore in  
linguam impressione prohibet : Ex  
dictis, vel me tacente sat innotescit

vim

edmo

vim quoque repellendi, *Acerbis* inesse vel maximam, imò nihil existere fortassis in rerum naturâ, quod fortius intrò repellat: dum tamen inconspectos corporis meatus occludunt, suam iporum virtutem à corpore excludent: hac autem meatuum occlusione contingit, ut interius ipsa sese intrumittere, viresque suas, profundiores in corporis partes exerere nequeant: quare medicis Author sum, ut siquid ex *Acerbis* pharmacis commodi ægris procurare velint, ea acrioribus, subtilioribusque acuant: hæc enim illis viam aperient, atque in intimum corpus quasi manu ducent: viscosæ siquidem, tenacisque naturæ cum sint, ipsa per se nec apertioni, nec ruptioni, nec corrosioni favent: quin contrà his validè resistunt: ut igitur ad remotiores corporis partes penetrent, aditus primùm subtiliorum ope patefaciendus: quibus debilis alioquin eorum actio acuatur sive, ad roborandum, sive ad divisa conglutinanda.

F 2

Hic

4 Gova Medicinæ Clavis.

Hic autem loci an, *Acerba*, stomacho amica sint necne, non abs re inquire potest: ex iis enim quæ hactenus diximus, non immerito quis collegerit debiliori stomacho vim stipticâ suâ, astringendique virtute conferre posse non mediocrem: observatum tamen à te velim, ea tantum, *Acerba*, ventriculo favere, quæ mediæ sunt stipticitatis, temperatæque, qualia sunt pyra maturitatem plenam affecuta, rosæ, atque id genus, sexcenta: ad hanc autem classem cum non existimem, *Acerba* propriè dicta pertinere, ea non nisi concocta tutò interius adhiberi queunt: concoctione enim crassa eorum substantia tenuior redditur, aptiorque, quæ ulterius in corporis nutrimentum concoquatur.

PROP.

PROP. II.

Acerbum Gustu explorare.

**T**ribus maximè, *Acerbum* omne discernitur, desiccatione, contractione, exasperatione: linguam enim validissimè quasi exsiccat, contrahit, atque exasperat: quod pyrorum sylvestrium, ac cornorum maximè esu experieris: his itaque linguae affectionibus si te dignoscendis assueficeris, nullo pene negotio *Acerbitatem*, ab austeritate, aciditate, amarore, falsoidine, dulcedine, aliisque si qui adhuc supersint, saporibus distingues. Cuicunque, seu simplici, seu composito corpori saporem hunc inesse, aut prædominari cognoveris, ut facillimè modo mox dicto deprehendere poteris, de virtutibus ejusdem medicis ex priore Propositione, erroris omnis securus pronunciabis: *Acerba autem sunt pyra sylvestria*

F 3

*sylvestria immatura, corna, mespila, a-  
cacia, fructus arbuti, ilicis, fagi, &c.*

## PROP. III.

*Medicam, Corporis Austeri, natu-  
ram exponere.*

**C**orpora quā *Austeria* solo intensi-  
onis gradu ab *Acerbis* distant :  
intensius autem *Acerbum* est, *Auste-*  
*rum* remissius : ac proinde quæ de a-  
stringendi facultate Corporibus *A-*  
*cerbis* insitâ diximus, *Austeris* eadem,  
servatâ proportione applicabimus :  
vehemens quidem astringendi vis in  
illis, in his mediocris tantum reperi-  
tur, quod non adeo Glutinantis sint  
viscosæque indolis : licet autem mi-  
nimè tenuia, non tamen crassæ adeo,  
terreæque substantiæ sunt : refrige-  
rant denique, exsiccantque *Acerborum*  
instar : discrimen, ut dixi, in gradu  
tantum situm est : Palato autem  
longe

longè jucundiora sunt: neque enim sine voluptate quadam mala punica, aut cotonea comedimus: *Acerba* verò si sanè constituti sumus, respuimus: dixi, si sanè sumus constituti: quibuscumque siquidem perversa est constitutio, his interdum gratissimus acerborum, acidorumque, usus: non tamen Austeria eo sensu intelligi velim quasi grata Palato, quod sola, sine aciditate comite, aut jucundâ quavis alia qualitate placeat Austeritas: id enim quotidianæ experientiæ repugnat: amarities siquidem, *Austeritati*, in aloë & absynthio associata, illa mero amaro ingratiiora reddit: at dulcedo, *Austeritati* juncta corpus reddit Palato longè gratius eo, quod solummodò dulce est: ut patet in fructibus nimiùm maturis: ipsa enim *Austeritas* facit, ut tum amaritudo, tum dulcedo altius à lingua imbibantur, diuturnioremque isthic moram trahant: unde major, vel voluptas, vel fastidium oritur.

---

PROP. IV.

Austerum gustu explorare.

**A**usterum iisdem planè indicis, qui-  
bus Acerbum, innotescit: linguam  
enim exsiccat, contrahit, exasperat:  
sed longè hæc remissius omnia præ-  
stat: quicquid igitur ori admoveris a-  
quo lingua desiccata, contracta, atque  
exasperata, sed leniter fuerit, id erit  
dubio procul Austerum: cujus facul-  
tates medicas mox tibi indicavi: *Au-*  
*stera porro sunt mala cotonea, olivæ,*  
*sorba, &c.*

PROP.

PROP. V.

*Medicam, Acidorum, naturam ex-  
ponere.*

**U**T, quoties spissus, *Acerbis* corporibus, humor accidit, Austerum toties generatur, quod aquea illa, densaque humiditas Acerbitatem ipsam retundat, ita pariter Aciditas orietur tenui, *Acerbum* ad corpus, humore accedente: corpusque quod acerbum prius fuerat, jam à subtiliore humiditate, *Acidum* evadet: sic fructus duræ primùm, ac ligneæ quasi naturæ, acerbi copioso postea humoris affluxu, omnino, ut constat experientiâ, acescunt: sed Acidum quoque non humoris tantum superabundantis copia, sed & ejusdem corruptio generat: annon enim & lac diutius repositum, & vina in cellariis aliquando acescunt? statim atque corrumpi, ac mutari incipiunt,

cipiunt, ita ut primus, ad corruptionem gradus, Aciditas esse videatur? Quod enim terreum, aëreumque, corruptioni non adeo obnoxium est, secus verò quod aqueum, ni coctione ita domitum fuerit, ut in nativum, ac genuinum succum converti possit: quæ idcirco omnia dixi, ut medicam, Acidi, vim indicarem: frigidæ enim esse, tenuisque naturæ, ex dictis satis, superque constat: quem igitur succum, aut plantam gustui merè Acidam ex indicio inferius tradendo deprehenderis, eadem frigidos omnes affectus in pejus, calidos verò in melius degenerare comperies: quo circa ad temperandos renūm ardores, ad minuendam Hypocondriorum caliditatem, ad discutienda erysepelata, aut alias quascumque ejusmodi affectiones, promptius nullum quam quæ vel prædominio, vel merè Acidæ sunt, ut olus Sylvestre, seu oxylapathum, remedium invenies. Quorum refrigerandi facultatem licet diminuat nonnihil juncta in succis uvæ, rubi, mori,

mori, acrimonia, non tamen tollit, sed tardiorem tantum efficit: *Acidorum* autem frigiditas longè discrepat ab *Acerbi*, *Austerique* frigiditate: hæc enim crassioribus constat corpusculis, illa tenuioribus: Acida siquidem non extimis tantum partibus sui sensum imprimunt, sed altissimè in ima penetrant: nemo proinde Acidum summè frigidum existimarit: quæ enim ejusmodi sunt, ut papaveris succus, hyoscyamus, Mandragora nihil prorsus Aciditatis gustanti exhibent: summam autem Acidorum frigiditatem ipsa partium tenuitas prohibet: at inquires, si Acida, ut insinuavimus frigida sunt; Acidos ergo ciborum ructus non frigida, sed calida sedabunt: docuit tamen sæpe, docetque quotidie experientia calidorum usu ejusmodi ructibus obnoxios pejus se habere, frigidorum verò, ut *Oxycrati*, alimentorum coctu difficultum, piscium, carnium, & pedum suillorum elixorum sanari, neque Acidum amplius eructare: huic difficultati

cultati in speciem non levi, ut faciam  
satis; animadverte diligenter oportebit,  
licet Acidum omne victoriam frigoris  
interni, in re quæ acescit, consequatur,  
fieri tamen interdum posse, ut calor  
ipse Aciditatis, adeoque & frigiditatis  
**ex accidenti caussa** sit: quod tum con-  
tingit, cum calorem minorem major  
foras evocat: quâ de caussâ vina debiliora æstivo æstu acescunt, quod ni-  
mirum hic calor debilem vini calorem  
facilè educat: unde cum vinum nati-  
vo jam calore destituatur, quid mirum  
si jam acescat, & putrefactio incipiat:  
ructus itaque Acidi à frigidis sæpe re-  
primi poterunt: Licet enim omnis A-  
ciditas ab interno semper frigore fluat,  
contingit tamen ut à caussâ calidâ ali-  
quando, *per accidens*, oriatur, cum sci-  
licet calore fortiore debilior, rei ace-  
centis, calor evocatur: si igitur frigidis  
calorem hunc nimium temperes, e-  
ructatio Acida cessabit: sublatâ, enim  
caussâ tollitur effectus: ut autem qui-  
busdam insitus à naturâ acor, ut pomis  
non-

nonnullis, & quibusdam, ut vino acercenti, præter naturam competit, ita nonnulla refrigerare nata sunt, alia ex accidente tantum, ut vinum, si acercentur: quæcumque tamen Acida sunt, sive secundum, sive præter naturam, incidenti, extenuandi, dividendi, farctu liberandi, aperiendi, purgandique vi citra calefactionem prædicta sunt: immo calorem ipsum extinguunt, corpus detergent, densant, asperant: acre obtundunt, dulce, insipidumq; exacuant: sed aliâ non levis momenti virtute pollent: appetitiam scilicet ciborum fastidienti procurant: famelicos enim, Acida pituita, homines reddit, ut dulcis somniculosos, salsaque fiticulosos efficit: quod Galenus insinuat cum caninam appetitiam, Acido humori ventriculum infestanti, ascribit.

PROP.

PROP

## PROP. VI.

## Acidum Gustu explorare.

**A**Marum, acre, salsum, *Acidum-*que cum linguam rodant, corrosio nota characteristica non erit, vi cuius, *Acidum*, ab acri, salso, aut amaro discernamus : hanc igitur regulam quæ neminem unquam fallat lectori propono, usu, experientiâque frequenti familiarem facile futuram : quod sine omnis omnino caliditatis sensu linguam mordet, corroditve, id merum *Acidum* audacter pronuncia. Quod verò mordet quidem, sed aliquo cum caliditatis sensu, Aciditas in eo dominium obtinebit, eritque temperatius refrigerans, quam *Acidum* merum : *Acidi sunt fructus immaturi, sed non Syncerè, olus Sylvestre, Acidum merum est.*

PROP.

PROP. VII.

*Medicam, dulcium Corporum, naturam exponere.*

D Uplici quidpiam sensu medicā pollere vi dici potest: altero quidem stricto, altero latiore: posteriore sensu omne alimentum, medicamentum erit: præterquam enim quod alimenta morbos præoccupent, debilitati, languorique nostro medentur; Priore verò, ea tantū id nominis sortiuntur, quæ quod alteratum fuderat, restaurant, atque pristino statui restituunt: utroque modo dulcia nobis prodesse possunt: quoniam præcipua nutriendi vis in dulcibus cibis sita est, hos sagax idcirco natura, Gustui gratos, jucundosque effecit, ut hac vellut esca, & appeterentur avidius, & à ventriculo allicerentur, cuius munus est visceribus, & venis ea suppeditare,  
quæ

quæ convenienti ipsis alimento futura sint: cur autem dulcia maximè nutrit, ac Suavissimè Palatum afficiant, si quis scire velit, is hujus rei rationem ex ipsâ dulcium naturâ repetere poterit: quorum caliditas in substantiâ non admodum crassâ mediocris est: quæ enim nimium frigida, aut summo in gradu calida, aut substantiæ nimium crassæ, vix in substantiam nostram converti possunt: eandem ob causam delectationem pariunt maximam: moderata enim caliditas linguæ meatûs citra violentiam aperit, diurniore que in iis mora sensui nostro gratissimè ab blanditur: quidquod quamdam omni nutrienti inesse dulcedinem oporteat: hinc summa Acerbitate, Aciditate, amaro, ut fructus recentes, Acetum, Aloë, &c. imbuta, nutriendi facultate carent, quamvis medendi vi plurimum polleant. Nec pauca è dulcium quoque genere repentes, quæ simul, & alimenta sint, & medicamenta, alimenta quidem, quod deperditam

vi caloris interni substantiam instau-  
rent, reparentque, medicamenta verò  
quod mutatam in pejus, in melius re-  
ducant.

Rerum autem dulcium temperiem  
si propriùs intueri placuerit, ipsam à  
calore, ut superiùs insinuabam, profici-  
ci dulcedinem concludemus: annon  
enim, exempli gratia, ipsa fructibus dul-  
cedinem maturitas conciliat? Quæ  
cum à calore oriatur, ab eodem quo-  
que dulcedo omnis ortum ducet: e-  
rit autem hic calor, vel rebus dulcibus  
innatus, ut iis fructibus qui in arbore  
maturescant, vel ascititius, quo dul-  
cescant paulatim decidui fructus.  
Cæterū moderatus dulcium calor  
est, nostroque proinde temperamento  
quod humidum in mediocri, calidum-  
que est, eo nomine conformius: at  
peculiaris licet dulcibus concoquendi,  
laxandi, rarefaciendi indita virtus à  
naturâ sit, ventriculum enim emolli-  
unt, Thoraci, pulmonique non levi  
subsilio sunt, emaciatum corpus re-  
G staurant

staurant, secunditatem, semenque tribuunt, tarda tamen, pigraque est eorum operatio : Si quid autem iis vitii insit aperientibus corrigatur, necesse est. Jecur enim & lienem plerumque obstruunt, quod ex harum partium tumore à nimio eorum usu, non semel patuit: cuius rei ratio unicuique obvia est, quod eorum crassa sit substantia ortâ scilicet ab ipsâ concoctione crassitie, ut omittam ipsas viarum, quas permeant, angustias, meseraicas scilicet, venasque ad jecoris gibbas progressas, in quas spissior substantia facile impingit: adde quod cum dulcia naturæ nostræ mirè congruant, avidius à ventriculo tanquam quid ipsi amicum, gratumque attrahuntur, ac prius sæpe quam omnino concocta fuerint: unde Jecoris, lienisque obstructio oritur: quæ tamen ab iis tantum dulcibus quæ crassiora sunt, metuenda est, non vero ab iis quæ tenuia magis, subtilioraque existunt: dulcia denique quod hic omississe piaculum fuerit, ventriculus frigi-

frigidior mutat in acorem, calidior verò in bilem, ob magnam partium aërearum, quas continent copiam, quæ facili transmutatione bilis fiunt: ut enim aër in ignem ob mutuam naturalium affinitatem facilè abit, ita pariter quicquid aëreis abundat partibus, aut ignis levi metamorphosi fit, aut igneum, cujusmodi fere bilis est: acris tamen, amara, atque falsa citius adhuc *Dulcibus*, quia calidiora in bilem abeunt: de quibus illud tantum hīc loci superaddam, noxiā eorum vim *Acidis*, ut aceto, malis, punicis, sirupo acetoso, cotoneorum succis, aliisque id genus, tutò, ac certò emendari.

---

**PROP. VIII.**

*Dulcia Gustu explorare.*

**S**apidorum nullum facilius dulci dignoscitur: quicquid enim manifesta cum voluptate linguam veluti

G 2 inun-

inungit, illud omne è dulcium esse  
tribu omnes norunt : *Mustum itaque  
dulcibus uvis expressum, atque ad di-  
midias coctum, melle, quod acrimoniam  
habet sibi adjunctam, dulcius est : triti-  
cum pariter dulce, liquiritia, hordeum,  
&c.*

## PROP. IX.

*Medicam, pinguium Corporum,  
naturam exponere.*

**Q**UICQUID corpori nostro idoneum a-  
lendo est, hoc à Galeno, aut dulce  
pronunciatur, aut pingue, quod à pleris-  
que licet frigidum existimetur, in eam  
tamen sententiam adduci nunquam po-  
tui : calidum enim, ut humidum haud  
dubiè est, non modò quia densitate suâ  
caloris effugio obstat, sed quia à conco-  
ctione, quæ à calore existit, generatur :  
quemadmodum igitur sicca in cineres  
redacta, nonnullas, ignis in se, parti-  
culas

culas adhuc retinent, sic concocta humida caloris, absolutâ concoctione nonnihil sibi reservant: huc accedit quod reliquis innatet humoribus pingue, acquisitâ, scilicet à residuo illo calore, levitate: at inquies quî fieri potest, ut pingue non frigidum sit, sed calidum, & leve, cum, ut patet, carni ipsi nihil densitate cedat: jam densitas frigiditatis notum, certumque indicium semper fuit: frigus enim contrahit, constipat, substantiamque ægrè mobilem reddit: ut calor contra liquefacit, diffundit, coquit, rarefacit: hanc quivis objectionem facile diluerit, qui voluerit animadvertere, coctione omnia cogi, condensarique: pingue itaque si densum sit, hanc non ex naturâ suâ densitatem, sed ex concoctione acquisivit; unde aërei, & terrestris quidpiam in se continere, & leve, & densum esse poterit: quamquam pinguium quoque quedam, tenuia maximè sint; ut oleum, quod lucidum est, & purum, ac facile sese, inti-

G 3                    mèque

mèque in corpus nostrum insinuat.

An autem pingue dulci calidius sit, necne, dubitari meritò potest, ac inquiri: cui quæstioni, ut paucis faciam satis, annotanda est duplex pinguedinis caussâ, altera, aqueum quoddam à nativo calore elaboratum, altera est dulce ipsum à quo, ulteriore concoctione efficitur: pingue itaque à posteriore caussâ natum haud dubiè dulci calidius est, frigidius verò eādem erit, quoties à priore generabitur: Cæterum moderata admodum, ac quasi tepida, pinguium corporum, caliditas est, ut, quæ vix primum ultra calefactionis gradum assurgat: quod tamen de mero tantum, synceropue pingui intelligendum videtur: quoddam enim, ut hircinum & Taurinum igneâ vi, ab acrimoniâ abundat: quod propterea suppurationi inidoneum est: poros siquidem ad præcludendum halitibus effugium non obstruit: à nimium enim detergentibus, aut calefacientibus exsiccatio quidem, at nul-

la

la puris, commotio oritur : hæc enim quoniam obstrunctiones tollunt, calor aditum aperiunt. Quæ autem pinguedo, omni caret acrimoniam, emplastricâ vi pollet : ut adeps suillus recens : vetustus enim calidior est, digeritque : quod de adipe suillo, de cera quoque elotâ dictum puta : ex quibus omnibus colligere licet pinguia humefacere, emollire, laxare, obstruere : imbecilliter tamen hæc omnia præstant, ob tenuem scilicet caliditatem : idcirco autem quod ventris fluorem procurent, ventriculo noxia esse liquet : sola enim astringentia eum defendunt, ac roborant : quæ autem eundem extendunt, laxant, emolliunt, eadem quoque debiliorem redundunt, quibus igitur, astrictior alvus est, his pinguia proderunt, lientericis verò, aut Cephalicis non levi incommodo erunt.

## PROP. X.

Pinguia quævis gustu explorare.

**E**adem fere ratione Pinguia explorabis, quâ dulcia prius explorare didicisti: quæ enim linguam veluti inungunt, impletantque, at absque manifesto voluptatis sensu, hæc omnia, quæcumque demum fuerint, pinguia esse certò noveris: *Pinguis autem exactè saporis sunt & fructus, & succi aleæ caducæ, ut & omnia, ex quibus oleum conficitur, qualia sunt sesama, amygdala, nuces, &c.*

PROP.

NOSTRA

PROP. XI.

Medicam, Corporum Salsorum,  
naturam exponere.

DE Philosophicâ, Salsorum Corpo-  
rum, naturâ h̄c agere non sta-  
tui: sive enim salsedo ex partibus aquæ,  
quas sol adurit, & tenuioribus admix-  
ti, sive ex resolutione amari, ut vult  
Avicenna in insipido aqueo, sive ex a-  
liu quâcumque demum causâ oriatur,  
ad propositum mihi scopum parùm  
refert: nos enim h̄c non tam quid sit  
corpus, quâ salsum, quam quid possit,  
inquirimus: ut tamen hoc ipsum in-  
telligamus, ipsius etiam naturam obi-  
ter inuieri oportebit: salsum igitur è  
terren, aqueique, conjugio nascitur:  
quod ex eo, quo generatur, modo a-  
pertè demonstratur: quoties enim a-  
queum humorem terrenis, permix-  
tum, particulis, ignis, calorve, exter-

nus

**26 Nova Medicinæ Clavis.**

nus concoixerit, toties sapor salsus existit: unde duplex salsorum virtus, quarum alterā lavant, detergunt, alterā roborant, astringunt: ab aquā enim parte prius habent, posterius à terrestri: prævalet tamen astringens salsorum vis, quā, ab omni corruptione, corpora tuentur, omni scilicet humido absumpto, residuoque, substantiæ solidioris astrictione, contracto: putrescit enim id omne, & solum, cuius substantia excrementitio quodam humore dissoluta dilabitur.

---

**PROP. XII.**

*Salsa quevis corpora Gusti explorare.*

**A** Quibus lingua nec contractio-  
nem, nec constipationem pati-  
tur, sed potius quasi detergitur, ab-  
luiturque, hæc omnia sunt salsa: quæ  
facile ex sale ipso explorabis.

PROP.

PROP. XIII.

*Medicam, Amarorum Corporum,  
naturam exponere.*

**A**marum inter, salsumque, quamvis affinitas non exigua sit, cum ambo terrestria sint, & calida; conspicuum tamen discrimen intercedit: quod scilicet validiore longè calore amarum elaboratum sit: unde multo subtilius falso evadit: quo autem in gradu, *Amari* caliditas consistat, adhuc sub iudice lis est: alii in tertio, alii in secundo locant: Quod-igitur-cumque Amarum est, hoc & calidum quoque erit: id tamen quispiam à veritate alienum existimarit, quod Cichoreum sit Amarum simul, & frigidum, similiter, & Rosa, aliaque item non pauca: quæ tamen objectio facile diluitur, si dixerimus amara quidem omnia, non minus quam dulcia, & acria, cali-

calidioris esse naturæ, fieri tamen posse interdum, ut alterius qualitatis, puta frigiditatis prædominio in proprium calefacientium actum erumpere nequeant: hinc

Maximè omnium vermibus amara resistunt, ut experientia pene quotidiana docet, & ratione manifestâ constat: vermes enim in humidis præcipue corporibus nasci solent; ignæ autem est, siccæque substantiæ *Amarum*: unde si syncerum fuerit, tam inidoneum, cuicunque animali, alimentum futurum est, quam cinis, pulvis, favilla, aut calx: vermium proinde, quorumcumque, ex humido, natorum certissimum excidium est: Medicamentum itaque tantum reputatur, non alimentum; quod merum siccum absque humido non alat, quale amarum omne est, sive oriatur ex dulci excalafacto, ut contingit aliquando, sive ex falso, humiditate, ulteriore elaboratione, absumptâ: *Amarum* itaq; terrestre subtile, non inepte cum Galeno dixeris,

dixeris, si præsertim *Acerbis*, aut *Asteris* collatum fuerit, at *Crassum terrestre*, si comparetur acribus: amarum siquidem extimam tantum linguae partem rodit, acre verò utpote subtilius, profundiùs abstergit: expurgant tamen amara, sive exteriùs adhibita, sive interiùs assumpta, obviamque, in venis crassitiem incidunt: peculiari, pariter mensium movendorum, virtute donata sunt: pituitam ex pectore, pulmoneque potenter educunt: sanguinem tamen spuentibus, quod incident, dividantque plurimum nocent: ejusmodi enim, astringentibus, tenacibusque plurimum egent: ut in intimas corporis partes distribuantur; tenuiorum pariter, calidorumque confortium exposcunt: ut igitur exteriùs adhibita, ulcera mundant impetigines, lentigines, cæterasque cutis maculas stripitus delent, ita interiùs assumpta quæ, crassiora, lentioraque, seu viscosa, incidunt, atque attenuant: quia autem dulcedini putredinis matri omnino

omnino contraria sunt, idcirco putredini adversantur, corporaque diu à corruptione prohibent: noveris tamen *Amara* quævis ventriculo esse noxia, & si absynthium vulgo eidem creditur, & sit amicum, hoc non ab amaritudine, sed ab astringendi quâ pollet virtute, trahit.

## PROP. XIV.

*Amarum Gustu explorare.*

**Q**UÆCUMQUE maxime linguam detergunt, exasperantque, ac quasi corrodunt, hæc sive plantas, sive corpora quævis alia amarorum familiæ ascribito: qualem fere linguae affectionem reperies in *Cucumere asinino*, *felleque*.

PROP.

**P R O P. X V.**

*Medicam, Acrium Corporum, na-  
turam exponere.*

**S**Apida inter Corpora, nulla acribus calidiora : nihil itaque his, utpote quæ tenuissimæ sint substantiæ potentiùs, aut incidit, aut resolvit: unde linguam urunt, mordentque acria, ut piper, piretrum, Nasturtium, allium, Cepa, aliaque id genus, plurima : quartum enim caliditatis gradum attigerunt: quæ tamen, quod forte minrere, tenera, molliaque viscera non erodunt, licet duriorem, longe cutem exedant, exulcerentque : cuius rei ratio non alia afferri videtur posse, quam quod concoctione Ventriculi plurimum alterentur, vel quod non unihæreant affixa parti, sed quoquovis sum ulterius diffuant, vel certè quia plerumque succis aliis igneam acrimoniæ

niæ vim retundentibus commixta sumuntur, vel denique quod velocissima sit eorum concoctio, separatioque puri ab impuro, parte unâ, quæ conveniat, assimilatâ, parte alterâ, quæ supervacanea, & acris fuerit, per alvum, urinas, aut sudorem, expulsâ: humiditas tamen *Acribus* sâpe non exigua inest, quâ fit, ut & condimenti, & cibi loco nobis esse queant: allia enim, cepasque Comedimus: unde Averroes huc respexisse non videtur, cum *Acria* dixit, calida esse, & sicca: eorum enim plurima, humiditate quoque abundant, quod ex facili eorumdem corruptione discimus: Piper enim longum, zinziber, aliaque id genus, innumera; nisi calore ignis, aut solis probè exsiccata fuerint, facile dilabuntur: Cæterum *Acria*, *Capiti*, oculisque omnia contraria sunt, propterea quod, nimio suo calore vapores, tum capiti, tum oculis infestos attollant: quamlibet itaque epilepsiaæ speciem mirè promovent: iis quoque, in quibus

bus bilis principatum obtinuit, plurimum obsunt, ut profundit iis solis, qui succo pituitoso, crasso, lentoque abundant: resolvunt enim, incidunt, aperiunt, siccant, emaciant, medicamentis imbecilliter operantibus stimulus addunt.

**P R O P. XVI.**

*Acria Gustu explorare.*

**U**T *Acida*, ea diximus omnia, quæ linguam dum mordicant, nullum prorsus caliditatis sensum eidem imprimunt: ita Acria hæc dicuntur, & sunt, quæ magno caliditatis sensu eandem mordent. *Qualia Sunt, allia, cepæ, sinapi,* aliaque, id genus, plurima.

H PROP.

**P R O P. XVII.**

*Medicam, Insipidorum Corporum, naturam exponere.*

Quod peculiaris omnis expers qualitatis, insipidum corpus h̄c voco; sive, quod neque Acerbum, neque Austerum, neque Acidum, neque Amarum, neque Acre, aut Salsum: De Insipidis autem, h̄c loquor, ad Palatum nostrum comparatis: quædam enim animalibus brutis suavia sunt, ut paleæ equis, quæ nos non afficiunt: ut autem insipida omnia aquosa sunt, ita alimentum subfrigidum, aqueum, erassumque ministrant; cum igitur humida sit, frigidaque eorum temperies, *Acribus*, *Acidis*, *Acerbis*, aut *Austeris* acui ea oportebit: si autem Cruda fuerint, præterquam quod ingrata sunt, stomachum plurimum gravant, ac pondere quodam velut oppri-

opprimunt, quæ nisi sursum expultrix facultas per os extrusserit, paucos intra dies intereunt, qui hæc copiosius deglutierint: adde quod flatus moveant, intestina lubrica reddant, obstruant, ac frigore suo condensent: *Acribus* tamen, *Calidisque* juncta, nec aliter, utilia esse possunt.

---

PROP. XVIII.

*Insipidum Gustu explorare.*

**I**N quocumque corpore neque *Acerbitatem*, neque *Austeritatem*, neque *Aciditatem*, neque *Amaritudinem*, neque *Acrimoniam*, neque *Dulcedinem*, neque *Salsedinem* deprehenderis, hoc *Insipidum* puta: de genere insipidorum sunt *Terra*, *G aqua*, *Cucumis*, *Cucurbita*, &c.

Ubi itaque quas, commemorata superius corpora, affectiones linguae imprimant, frequenti experientia, usuque

H 2 didiceris,

didiceris, easdem etiam eadem in re conjunctas facile discernes, ut in uvâ immaturâ Acerbitatem simul & Aciditatem, in Aloe vim astringendi amarori junctam, in aceto Aciditatem acrimoniae Sociatam, &c. quod ut facilius exequaris, ac linguâ judice *Sapida*, saporesque perfectè discernas, para tibi ex singulis sapidis unum quodpiam: ut ex *Acidis*, olus sylvestre, seu, oxylapathum, ex *Acerbis*, *Mespilum*, ex *Austeris* malum cotoneum, ex *Dulcibus*, *Mustum* e dulcibus uvis exprefsum, ex *Pinguibus*, sesamum, ex *Amaris* *Cucumerem Afininum*, ex *Salsis*, salem, ex *Acribus*, allium, ex *Insipidis* cucurbitam: Variosque, hæc omnia sœpius Gustando, sapores ad amussim distinguere, non separatos modo, sed & conjunctos, non in his solum sed & in omnibus aliis corporibus, sive simplibus, sive compositis.

F I N I S.



BOOKS printed for *Samuel Smith*, at the Princes Arms in St. Paul's Church-yard.

*Johannes Godastini de Insectis in methodum reductus, cum Notularum additione, per M. Lister. Item Appendix ad Hist. Animalum Angliae. Octavo. Cum 21 Figuris æneis illustrata. 1685.*

Experiments and Considerations about the Porosity of Bodies, in two Essays, by *R. Boyle Esq; &c. Octavo. 1684.*

*Tuta, ac Efficax Luis Venerareæ, sæpe absque Mercurio, ac semper absq; Salvatione Mercuriali, Curandæ Methodus. Authore D. Abercromby, M. D. Octavo. 1684.*

The Philosophical Transactions published by the Royal Society monthly, beginning Jan. 1683.

*R. Boyl's Memoirs for the Nat. History of Humane Bloud, especially the Spirit*

*Books printed for Sam. Smith.*

Spirit of that Liquor, 1684. Price 2 s.

*The whole Art of the Stage*, &c. translated out of French : in Quarto, 1684. Price 5 s.

An Enquiry after Happiness, &c. by the Author of Practical Christianity, 1685.

A new History of *Ethiopia*, being a full and accurate Description of the Kingdom of *Abessinia*, vulgarly, though erroneously called the Empire of *Prester John*, in four Books, (illustrated with many Copper-Plates) and also a new and exact Map of the Country, and a Preface shewing the usefulness of this History ; with the life of *Gregorius Abba*, &c. By the learned *Job Ludolphus* Counsellour to his Imperial Majesty and the Dukes of *Saxony*, and Treasurer to his Highness the Elector *Palatine* : in Fol. 1684. Price 12 s.

The History of the Original and Progress of Ecclesiastical Revenues, by the Learned *P. Simon*, 1685.

*Gideon's Fleece*, or a Vindication of the

*Books printed for Sam. Smith.*

the Colledge of Physicians, in answer to a Book intituled, *The Conclave of Physicians*. By Dr. Harvey, in *Quarto*, 1684. Price 6 d.

An Anatomical account of an Elephant which was lately dissected in Dublin, June 17. in the year 1681. By A. M. Med. of Trinity-Colledge near Dublin, illustrated with Cuts, in *Quarto*, 1682. Price 1 s.

*Swammerdami (Johan.) Amst. M. D. Miraculum Naturæ.* In Octavo.

A Philosophical Account of the hard Frost, with what Effects it may probably have upon humane Bodies, as to Health and Sicknes, in *Quarto*. 2 d. stitcht.

The true method of curing Consumptions. By S. H. Med. D. 1683. Price 1 s.

A Discourse about *Bagnio's*, and *Mineral Baths*, and of the drinking of *Spaw-water*, with an Account of the Medicinal Vertues of them, and also shewing the usefulness of Sweating, Rub-

*Books printed for Sam. Smith.*

Rubbing and Bathing, and the great benefit many have received from them in various Distempers. By S.H.Med. Doct. 1683. Price 1 s.

Miracles, Works above and contrary to Nature; or an Answer to a late Translation out of *Spinoza's Tractatus Theologico-politicus*, Mr. Hobbes *Leviathan*, &c. in *Quarto*, 1683. Price 1 s.

*Protestancy to be Embraced*; or a new and infallible Method to reduce Romanists from Popery to Protestancy, 1683. Price 1 s.

The Ten Pleasures of Marriage. In *Twelves*.

The *Dutch Rogue*, or *Gusman of Amsterdam*, traced from the Cradle to the Gallows, 1683. In *Twelves*.

Dr. Smith's Sermon about frequent Communon, 1685.

Fish's Sermon on the 29th of May, 1684.

*F I N I S.*